



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

64. Christophorus ab Vtenheim.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

CHRISTOPHORVS

*Annus
Christi
1503.*

Ab Vtenheim, Alfata, Cano-
nonum Doctor.

Basileensis Episcopus.

LXIV.

Placuit ante alios in Canonico-
rum confessu, perspectæ vir in-
dustriæ Christophorus Vtenhei-
mius, dignusque votorum consensu
habitus, qui nomen Episcopi adii-
ceret muneri illi, quod biennio præ-
clare administraverat. Peracta igitur
electione 2. Novembris 1502. ab
Alexandro comprobatus mense Mar-
tio, sequentis anni 1503. 28. Maij.
Basileæ in Principe Ecclesia Epi-
scopus inunctus est. Ferunt per hos
honoris gradus, moribus immotum
perstitisse, amantem frugalitatis &
sumptuosi luxus egregium contem-
ptorem: adeo ut vestem sericam

Y 5

nun-

Anno
Christo
1504.

nunquam admitteret, superbam pompam, otiosum temporis dispendium, & deliciosas illecebras capepius & angueaversatus. Id unum jucundissima ipsi voluptas erat, quantum quidem officij sui permetterent sollicitudines, sacrarum litterarum lectio, divinorumque sapidissima contemplatio. Solenne habuit festis diebus rem divinam facere, moris sui & pietatis ad extremam usque senectam retinentissimus, ad aram deductus, quia præ virium defectu pedibus niti non valebat, famulorum humeris sustendendus.

Sub hoc Episcopo, anno 1504. Raymundus tituli Mariæ novæ Cardinalis Pij III. Legatus ex Francofortensibus Comitibus redux, post obitam legationem in Daniæ & Sueciæ regnis, Pontificiam noxarum Indulgentiam illic passim elargitus, habuit iter Basileam, & aliquamdiu
ibi

ibi substitit, ut serium illius, quod primùm intellexerat, examen institueret: esse nempe in Eichselen arcis Rheinteldensis Parochia tunc temporis, tria corpora, Kunigundis, Mechtildis & VVibrandæ Virginum è confortio S. Ursulæ, & á prima sepulturæ die, immota conquiescere, multisque pridem inclaruisse miraculis. Vt quid certius de rei veritate cognosceret, Iacobum Merboldum suum à secretis fidum comitem ire iubet, & num verbis facta respondeant, explorare singula operâ minimè perfunctoriâ. Iacobus ut iussus, quàm accuratissima potest diligentia indagat, refertque dicta fidem mereri, mille comprobanda, si opus foret, testimoniis. Raymundus, rem hanc ad sui officij rationem pertinere existimans, eò proficiscitur, ut autoritate maiori relatis actis & miraculis in publicas tabulas, sanctarum

Anno
Christi
1503.

Anno
Christi

etiarum Virginum cultus & veneratio cresceret. Postquam suis ipse singula pervidit oculis Cardinalis, aperiri sepulchrum mandat, sui smet excipit cineres manibus, & in locum honoratiorem recondit. Confecto denique diplomate, noxarum veniam impertit illis, qui die sanctis Virginibus sacrâ, religionis causâ ad earum lipsana inviserent.

1511.

Anno 1511. 7. Februarij. Maximilianus Imperator, perpetuum cum Helvetiis foedus renovat, suo, Carolique Nepotis nomine. Fuit hic Carolus V. Gandavi natus anno 1500. ex Philippo Maximiliani filio, & Ioanna Ferdinandi Hispani & Elisabethæ filia, Imperator electus anno Christi 1519. ætatis suæ 19. Christianorum Imperatorum nulli secundus, si bellorum ab ipso gestarum series, victoriarum numerus & heroicarum ipsius virtutum pensetur magnitudo. Anno

Anno 1513. 21. Iulio I I. vitâ functo *Anno*
succedit Leo X. calamitatibus Eccle- *Christi*
siæ maximis, si ullus Pontifex obno- *1513.*
xius. Postquam enim Generale
Concilium XVI I. Lateranense à Iu-
lio inceptum felici clausit exitu, re-
ceptoque in gratiam Ludovico XII.
Gallorum Rege, cuius armis & arti-
bus impetitus fuerat, Tragicæ per-
turbationis spectator fuit, quam
Choragus Iulit Martinus Lutherus
anno 1520 in scena hæretica laxitatis
studiosos tracturus exemplo suo in-
felices Actores, inquinatissimæ vitæ
plerosque incestuosos Apostatas, qui
Germaniam potissimum & Septen-
trionales populos reducta dogma-
tis, sed ab Ecclesia jam pridem dam-
nata crambe ac lue inficerent.

Huius novitatis afflatum brevi
sensit Basilea, quando V Wolfgangus
Capito Basileensis Ecclesiastes Oeco-
lampadium advocavit, & Doctoris
in signi-

Anno
Christi
1513.

in signibus condecorandum curavit; sed is dilata non nihil ad excoquendum novum dogma occasione, Augustam, unde venerat, tantisper recedit. Et certè secuturis novitatibus ansam dedit Magistratus Basileensis eodem anno, auctoritatem, veteremque Episcopi potestatem sensim vellicans; ad actis videlicet ad sacramentum sibi dicendum, Episcopi sæcularibus administris, contra jus omne & usitatam hætenus consuetudinem, cum & cives jure veteri fidem Episcopo jurarent, & Magistratum Episcopus ac Consules quotannis vel constitueret, aut certè approbaret.

1519.

Anno 1519. 12. Januarij quo acclamatus Imperator Carolus V. Canonici Basil. Christophoro Episcopo emerito jam septuagenario, dant administrum difficilibus adeo temporibus vel maxime necessarium approban-

te

te Pontifice, Nicolaum à Diesbach *Anno*
è prima Bernensium nobilitate ori- *1518*
undum, Iurisque scientissimum Ec-
clesiastici & jam dudum Senis in
Italia Canonum laureâ decoratum.

Anno 1521. res Basileensis in peius *1521.*
ruere cœpit luculentis decrementis.
Guilielmus Rablin ad Divi Albani
Parochus cōtra Missam & Purgantes
flammas impunè & licenter debac-
chatus, tanto populi plausu auditus
est, ut arridentem plebi novitatem
Magistratus avertere non ausus fue-
rit. Sedato postea tumultu, id Epi-
scopi & Cleri precibus concessum
est, ut os buccinatori obturaretur:
sed quam erga suum Episcopum re-
verentiam turpissimo iterum nævo
commaculavit senatus, eodem anno
Consules & Magistratum legendo,
iniussu sacri Antistitis.

Anno 1522. Oecolampadius Au- *1522.*
gustâ Basileam revocatus (qui inte-
rea

Anno
Christi
1521.

rea relicto concionandi munere, Augustæ in Altenmünster cœnobio ordinis S. Birgittæ monachum induerat) oblatam Theologiæ prælectionem acceptat. Crevit Apostatæ cum nova dignitate audacia: nam ipse contemptis veteris Ecclesiæ ritibus, sacramenta Lutheranorum more conferre cœpit, evulgato de cœna Domini libello, in quo verba Christi. *Hoc est corpus meum.* tropologicè exponit. Suam hac de re sententiam rogatus Erasmus respondit: *Legi, & censeo doctum & politum esse libellum, dicerem, & Christianum; si quid Christianum dici posset, quod Ecclesiæ sententiæ repugnat, à qua discedere meo quidem iudicio periculosum est.* Utinam aliàs tam orthodoxè sensisset aut locutus fuisset Erasmus, habuissetque potius cordi, fidei morumque puritatem, quam

quàm sermonis latini, in quo merito laudem nemo ipsi deterat.

Anno
Christi
1525.

Anno 1525. bellum Rusticum in Germania atrocissimum & cruentum in Nobiles præsertim ac Imperij magnates, aut suscitavit primò vel certè novo flammæ iniecto pabulo fovit hæresis per provincias jam latè grassata, ventrosam mali incentorem suum Lutherum invito Deo secuta. Huius occasione rusticani belli, Lauffenses, eorùmque vicini jus civitatis obtinent Basileæ: Anno sequenti, Telamontius Limperger, Episcopi Basileensis Suffraganeus, turpissima transitione ad hæreticos defecit, illorum quoque perfidiæ reus, quos utique plures exemplo suo ad parem exitij sortem pertraxerat. Vnde Canonici Telamontium Collegij sui dehonestamentum, suorum è numero expungunt, officio privant, & Augustinum

Z Mari-

Anno
Christi
1525.

Marium SS. Theologiæ Doctorem,
ac jam antè Frisingensem Proepisco-
pum substituunt.

Vt Basileæ, sic passim per reli-
quam Helvetiam emergente hæresi,
Theologorū Synodus Badæ indici-
tur. Ad sunt constitutâ die, D. Io-
annes Eckius, Academiae Ingolsta-
diensis Professor, D. Ioannes Faber,
Ferdinando Archiduci à consiliis,
D. Thomas Murner Lector Franci-
scanorum Lucernæ, publicè omnes
coniurati, se veterem & orthodoxam
religionem contra Ulricum Zwing-
gium Tigurinum Praeconem, &
quosvis alios constanter propugna-
turos. Eckius quidem has propo-
suit theses, quas omnes, adversarij,
præter duas posteriores, oppugnare
tentârunt.

Prima

Prima.

Anno
Christi
1545.

Verum corpus Christi & sanguinem
presentem esse in Eucharistia Sacra-
mento.

Secunda.

Christi corpus & sanguinem in Misse
sacrificio pro vivis & defunctis
verè offerri.

Tertia.

Imagines Christi & Sanctorum non
esse tollendas.

Quarta.

Post hanc vitam dari Purgatorium.

Quinta.

Etiam Infantes Christianorum nasci
in peccato originali.

Sexta.

Baptismum Christi & non Joannis
tollere peccatum Originale.

Z 2

Ad

Anno
Christi
1525.

Ad hanc disputationem 21. Maij, anni 1526. habendam venerunt quatuor Episcoporum, Constantiensis, Basileensis, Laufannensis, Curiensis, Cantonum Helvetiorum, iisque Confœderatorum Legati. Zvviglius, quantumvis cum immunitatis & interpositi liberi comœatus promissione, sæpius invitatus, comparere diffidit. Disputationis Præsides lecti, Barnabas Engelbergensis Abbas, D. Ludovicus Baer Basileæ apud S. Petrum Præpositus, Iacobus Stapffer Sangallensis, eques, Ioannes Honecker Consul Bremgartensis, qui prudenter antea præcaverunt, ne ullus, disputantium verba scripto exciperet, præter scribas libellionis muneri deputatos, scripta ipsi & acta penes se solos asservaturi. Oecolampadius prima oppugnatione disputationi initium dedit, solenni antè præfatione usus, se solo verbo Dei,

Dei, non consuetudinis, Doctorum-
que decretis niti velle, aliumque se
repudiare Iudicem, qui præter Dei
verbum, verba alia daret.

Anno
Christi
1525

Post aliquot dierum contentio-
nem, rogati utriusque factionis do-
ctiores, qui aderant, auditores, Eckii-
ne Theses, an adversariorum senten-
tiam præferrent? Maior pars sub-
scripsit Eckio: aliqui Oecolampa-
dio: reliqui, haud sat liquere, utri-
plus deferendum, respondeunt. No-
minatim verò adhæserunt Eckio viri
primarij D. Baër, D. Doctor Marius
sacer orator Basileensis Ecclesiæ, Io-
annes Silberberger Medicinæ & Iuris
utriusque Doctor, Ioannes Sattler
SS. Theologiæ Baccalaureus. Cum
his, Cantones Helvetiæ novem, Lu-
cerna, Vranium, Schvitzium, Sub-
silvania, Tugium, Clarona, Fribur-
gum, Solodorum, Apenzella.

Interim superfeminata Basileæ

Z 3

nova

Anno
Chris
1525.

nova doctrina altas jam agebat ra-
dices continuâ, non modo sæcula-
rium, sed & religiosorum defectio-
ne. Ex horum numero, Pellicanus,
Rubeacensis patriâ, Franciscanorum
Guardianus Basileæ, abiectio cucul-
lo, & sanctissimi ordinis transfuga
Tigurum evolavit, ut, cum Hebraicæ
linguæ professione novum dogma
hæreticum incantaret. Sed & in
Basileensi Civitate, in æde Parochiali
S. Martini auctore Oecolampadio,
Davidici Psalmi Lutherano more
primùm decantati sunt.

In hoc rerum & malè passim ha-
bitæ religionis articulo, quid ageret,
quàmque in parrem se verteret, ani-
mi anceps, & quam ratione la-
bantis fidei in sua Diœcesi casum
præpediret, ætate gravis, adeoque
tantis impar curis Christophorus,
19. Februarij, anno 1527. Bruntrutum
evocat Abbatem Bellelagiensem,
Ioan-

Ioannem Steinhauser Officialem, *Anna*
ut vocant, & Ioannem Henricū Vor- *Christi*
burger I. V. Licentiatum, ad D. Vrsi- *1527.*
cini Canonicum; hos Basileam le-
gatos ad Canonicorum cœtum mit-
tit, ut ex animi sui sententia, Dioece-
seos Ecclesiastica & Civilis Jurisdi-
ctio transferatur in alium magis
idoneum. Auditis Legatis, Cano-
nici morem gerunt, emerito seni-
pensionem in mensarios sumptus
constituunt quotannis aureos du-
centos, ut sibi Delspergæ viveret im-
posterum. Sed anno non integro
superstes, 16. Martij, ad tranquillita-
tis portum commigravit, ibidem
ante aram Principem sepulchro illa-
tus. Nicolaus à Diesbach Basile-
ensis Ecclesiæ Cathedralis Decanus
& lectus Episcopi Adiutor, ne gra-
vissimo oneri succuberet, exulcera-
tissimis temporibus, abdicatâ matu-
rè commissæ administrationis curâ,

Annus
Christi
1527.

21. Februarij, Vesontionem concessit,
ubi & vitam & vitæ finem constanti
pietate obiit. Epitaphium ipsius
in sacello S. Catharinæ, quod est in
Ecclesia Metropolitana S. Stephani
Bisuntina, his verbis legitur insclu-
ptum sepulchrali lapidi.

Hæc requies mea in sæ-
culum sæculi.

*Hic quiescit Reverendus & Nobilis
Dominus Nicolaus de Diesbach,
Bernensis, Prioratum, Vallisclusæ,
& Grandissoni Commendatarius: qui
ob ingruentem in Ecclesia, Lutherano-
rum persecutionem, Coadiutoria Epi-
scopatus Basileensis cecidit, & Decana-
tum ac Canonicatum Basileensis, nec-
non Preposituram Solodorensis, Ec-
clesiarum Lausannensis Diæcesis, alia-
que*

Episcoporum series. 361

que Ecclesiastica, qua obtinebat, reliquit, & Bisuntij degens, hoc Sacellum restauravit, in quo Missam Canoniam quotidie celebrandam fundavit. Qui obiit die quintadecima mensis Junij, anno Domini 1550. etatis sue septuagesimo secundo. Orate pro eo.

Anno
Christi

RVDOLPHVS

1527.

Ab Halvveyl.

Basileensis Episcopus.

LXV.

Christophorum inter & Philippum Episcopos medius collocatur Rudolphus, mense, ut aiunt, Februario, anni 1527. Christophori successor a Canonicis legitime constitutus. Quia vero excisio calculi, quo acerrimo dolore laborabat, tertia ab electione hebdomada è vivis ipsum sustulit, ita ut neq; possessio-

Z 5

nem